



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis

Lambert, François

Argentorati, 1525

**VD16 B 3868**

Pars Sevnda. Secundo, agit de captiuitate ipsarum tribuu[m], & de Domino  
insignia multa propheta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

**E**t Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet, & lugebunt omnes habitantes in ea. Et ascendet sicut riuus omnis, & defluet, sicut fluius Aegypti. Qui edificat in caelo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit. Qui uocat aquas maris, & effundit eas super faciem terrae, Dominus nomen eius.

**P**rophetis dei, omnibus scilicet ueris Dei eloquiorum ministris, hoc est commune, ut inter Euangelizandum, magnitudinem ipsius Dei annuncient. Proinde in libris Mosi, & prophetis, passim tale quiddam legitur: Hec dicit Dominus Deus exercituum, Deus omnipotens, Deus Sabaoth, Deus uirtutum. Magnus Dominus, & magna uirtus eius, & magnitudinis eius non est numerus. Quam bonus Israel Deus & his similia multa, quod supra cap. 3. & 5. & hoc loco Amos sublimiter fecit. Dei magnitudinem, permixtim alijs prophetijs inculcans, unde hi qui audiebant prophetias eius, ipsis magis adquiescerent, nec ullatenus futura dubitarent, quae tam excelsus se facturum praenunciari iubebat.

Ait ergo: Et Dominus Deus exercituum, supple, est, qui tangit terram, flagellis suis (quae tactus quidam manus

K s eius



**FRANC. LAMB. IN AMOS**

eius sunt) & tabescet, evertetur, ac destruetur. Propter quod lugebunt omnes habitates in ea, quã flagellavit. Quia aut maxime aduersum Israellem prophetat, subiungit: Et ascendet &c. Idem habes cap. præc. & ibi exposuimus.

**Qui edificat &c.** Qua ratione hic uersus magis sit enarrandus, non satis definire ualemus. Verum quamlibet subiunctarum expositionum susceperis, non puto, imò neq. erit inconueniens.

**Prima.** Deus in celo ascensiones suas edificare dicitur, quia in eo maxime magnalia sue gloriæ ostendit. Quasi enim beatis Angelis & electis, ascensiones fabricat, dũ eos ad suam magnitudinem agnoscendam, super se ipsos leuat, & ipsi per eas continue ascendunt & descendunt, dum in Deo uniuersa condita, & in eis illius altitudinem meditantur. Fundauit aut Deus super terram fasciculum suum, dũ totam orbis machinam condidit, & omnibus terram mediam, ut centrum, ac quoddam reliquorum fundamentum fecit. Siquidem tam magno & sublimi opifici, quid orbis ipsæ totus, nisi fasciculus quidam, nisi res minima? ipse etenim est, qui tribus digitis molem terræ adpendit.

**Alia.** Deus in celo, in Ecclesia & singulis fidelibus, edificat ascensiones suas, dum in eorum animis sui spiritus lumine facit, ut à terrenis ad Deum, & à uisibilibus ad inuisibilia adsurgant. Ascensiones in corde Pauli erant, cum ait Phil. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quid enim est, Deum cupere, nisi ad illum corde ascendere? In hoc ascensu erat qui dixit Psalmo. 83. Quam dilecta tabernacula



cula tua domine uirtutū, concupiscit, & deficit anima =  
mea, in atria domini. Cor meū, & caro mea, exultauerūt  
in Deum uiuū. Etenim passer inuenit sibi domum, & tur  
tur nidum ubi reponat pullos suos. Altaria tua Domine  
uirtutum, Rex meus, & Deus meus. Beati qui habitant in  
domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Bea  
tus uir cuius est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo  
disposuit, in ualle lachrimarum, in loco quem posuit. Ete  
nim benedictionem dabit legislator. Ibunt de uirtute in  
uirtutem, donec uideatur Deus deorum in Sion. Quid in  
prescriptis omnibus uides, nisi sacratissimas ascensiones  
ad dominum? Quere scelicem animam, quæ a Deo adce  
pit, ut ita ascendere possit.

Ipsē quoq; Dominus, ex electis quasi fasciculum super  
terram facit, & fundat, dum eodem spiritu, eademq; fi  
de, unum ex eis facit, & id quidem in terra primū, ideoq;  
ipsum fasciculum in terra fundare dicitur. Ipsē quoq; ele  
ctorum fasciculus domini esse dicitur, quod eius pars &  
hereditas uocentur. Vtraq; expositio bona est, uerū pri  
ma, est textui germanior.

Qui uocat aquas &c. Nunc uersum habes etiam, su  
pra cap. s. quem ibi enarrauimus. Summa. Nis ostenditur,  
omnipotentia Dei, & quod uniuersa operetur.

P A R S T E R T I A.

Nunquid non, ut filij Aethiopum uos estis  
mihi,